



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vsvardi Martyrologivm**

**Usuardus <Sangermanensis>**

**Lovanii, 1573**

Capvt IX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42790**

Erminus, episcopus, & abbas Lobiensis, obiit eodem anno; cui succedit sanctus Theodulphus.

## C A P V T I X .

**P**ipinus rex, tertius eo nomine Brabantiae dux, Carolo Martello, patri mortuo, heres succedit, anno septingentesimo quadagesimo primo, cum fratre Carolomano. Hic anno quadagesimo sexto à Zacharia papa in monachum attonsus est. Pipinus vero anno septingentesimo quinquagesimo, submoto Childerico rege, postquã annis nouem regnasset, auctoritate Apostolica Zacharie pontificis, & electione Francorum à sancto Bonifacio archiepiscopo, in regem vnctus est. Ingenti foelicitate, ac gloria belli, domuit Saxones in Austrasia: hoc est, in Orientali Francia; Longobardos in Italia: Vuadalos in Hispania; Aquitanos in Gallia. Obijt anno septingentesimo sexagesimo octauo.

Clarent circa hæc tempora sancti episcopi & abbates Lobenses, sanctus Amolvinus, sanctus Vlgifus, S. Abel. In Dononio, sancta Regina consanguinea Pipini, Aldebertus Comes Austrouandiae, eius maritus, sancta Ragenfredis abbatissa Dononiensis, eius filia, & Aua altera filia: Lætij sancta Hiltrudis virgo, quæ Hugonem Burgundionum principem sponsum in terris fugiens, à Theodorico Cameracensi episcopo sacrum velamen accepit. In Artesia iuxta Ariam, sancta Itisberga, filia Pipini regis. In Campinia, sancta Oda virgo, Lyrae, sanctus Gummarus. Gan- *Iconomachia.*  
dau Hildebertus martyr abbas Gandensis. qui

anno septingentesimo quinquagesimo secundo,

N 4      contra



contra fautores imperatoris Constantini Copronymi, non modo verbis, sed etiam sanguinis profusione, pium imaginum cultum confirmavit.

In Diciuenna apud Teneramundam sanctus Hilduardus episcopus. qui fidem constantissimè prædicauit, & tandem etiam Magriptium Ducem conuertit, à quo multis tormentis fuerat affectus.

*Frisia  
martyres.*

In Frisia clarebat sanctus Bonifacius, qui cum annis tredecim Frisonum Francorumque gentem in fide catholica instruxisset, à Gregorio secundo ad Germanorum conuersionem Moguntinæ ciuitati primus episcopus est designatus. Mortuo autem beatissimo Vuillibrordo, Moguntinæ successorem constituit sanctum Lullum, & ipse Traiectensem archiepiscopatum secundus suscepit. Cumque annis sedecim per Frisiam prædicasset, in Dockum anno septingentesimo quinquagesimo quinto, ab infidelibus oppressus est, & martyrio redimitus, cum socijs, quos plures quam quinquaginta in fidei prædicatione cooperatores habuit. E quibus vndecim tantum, velut celebriores suis nominibus in historia exprimentur, videlicet Eobanus episcopus; tres presbyteri, Vuintrugius, Vualterus, Adalherus: tres diaconi Stircbaldus, Hamuntius & Boso: quatuor monachi, Vuaccharus, Gunderherus, Vuilliherus & Adolphus.

## CAPVT X.

**S**anctus Carolus magnus, Pipini filius, patri in regno succedit, anno septingentesimo sexagesimo